

CANCELL.*
MARTIS B**.
1718.*

00 Ta

~~BIBLIOTHEK~~

XXVIII . 9 . a

E. L. v. 70. 59

28. April 15

ICATORUM ORDINIS
UTRUMQ[UE] IN
P[ER]TINENTIA
HONORIS APPALI-
CATIONIS
SOLVAT
HOC IUDICIO PROCLAMAT
MAGA HOC

F

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
ACADEMICAM,
DE
BARATTARIA,

GERMAN.

von Bestechung der Richter/

DIVINO FORTUNANTE NUMINE,
Ex Autoritate & decreto Magnifica, Nobilissime

& Amplissima Facultatis Juridice
IN INCLYTA ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,

P R A E S I D E
VIRO PRÆNOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. HENRICO BODINO,

Jure Consulto & Decretalium Professore
Ordinario famigeratissimo.

Pro

CONSEQUENDIS IN UTROQVE JURE HONO-
RIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

Publicæ Eruditorum in solenni JCtorum Auditorio
disquisitioni subjiciendam,

Conscriptis


JOHANNES GERHARDUS Hirschfeld/

Marburgensis Hassus.

ad diem IX. Novembr. An. M DC LXXXIIX.

Recusa Hale, Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ. 1708.







PRÆLOQVIUM

I. N. D. D. P. F. ETS. S. A.



Voniam vitia & crima tamdiu, quam
diu homines erunt, non cessabunt, nihil
ergo magus est, unde Deo sacrificium
offerri posit, quam si ordinetur id, ut
hi, qui in suam & aliorum perniciem
debachantur, competenti compescan-
tur vigore causa 23. quest. s. c. 44. in fin. &
sicut in bello nunquam excubia sunt
remittendæ, ita quoque semper nobis, dum lucis hujus
ulsura frui licet, adversus vitia ac crima dimicandum;
Excelsi quoque vereque generosi est animi, secundum
tria juris præcepta juvare alios, nocere nemini, prodesse
omnibus arg. §. 3. Inst. de I. & I. ad vitia faciles & pro-
clives emendare, coercere, decorum demonstrare si in ma-
lis confirmati fuerint, inde retrahere, nec laudem meren-
tur illi, qui dum vitia vident, se se fuga abducant & lati-
bula quærunt: Quod cum & in subditis admodum impro-
bandum sit arg. Levit. c. 5. v. 1. & Deuteronomi i. 17. 4. Quam
maxime tamen Magistratus peccant, qui vitiis omni nisu
non resistunt, cumque ne tale quid in interitum totius rei-
publicæ contingat, non nisi illis Magistratus officium com-
mittendum, quam qui ob exploratam probitatem, pruden-
tiam

A 3

tiam

tiam & experientiam ac avaritiae inimici deprehensi ad hoc electi sunt. *Exod. 16. v. 21.* Quæ cum ita sint, nemo puto inficias ibit, crimen barattariae reipublicæ admodum perniciosum esse, quapropter dum illud plusquam frequens nostris temporibus animadverterem constitui, hanc materiam pro virili loco disputationis inauguralis enucleare, eamque publico Eruditorum examini subjicere. Ut vero eo commodius hoc fieri posse, methodum huic nobilissimæ reipublicæ perutili ac summe necessariæ materiæ pertractandæ adhibui juridicam quam Imperator in tractandis Institutis observavit *S. fin. Inß. de I. N. G. & C.* proponens sc. primo personas committentes crimē barattariae, secundo res, ob quas seu quarum intuitu personæ hoc crimen committunt, & tertio actiones, quibus crimen hoc commissum persequendum & coercendum. Te autem Benevolè Lector, quisquis fueris, maximo ore opere, ut dissertationem hanc Academicam, chartaceum hoc munusculum eo suscipias vultu, quo quolibet literis bonaèque menti ingenue litantes excipere dignaris: Faxit Ter Optimus DEUS, cuius singulare adjutorium in omnibus actionibus non minus, quam etiam in dissertatione hac conscribenda & adornanda sentio, ut quicquid hic opera consignatum, immensam Dei gloriam magnificet, in cujusque vitio & crimine hoc haecenus commaculati emendationem æque ac patriæ emolummentum vergat nec non dilectissimi Domini mei parentis spem & desiderium adimpleat.

SECTIONIS PRIMÆ

TH. I.

ANequam igitur argumenti hujus dissertationis explanationem aggrediar, non abs re judicavi, quid de vocabuli significatione & acceptione statuatur, præmitte-

DISPUT. DE BARATTARIA.

5

mittere arg. l. 1. ff. de 1. & 1. Et est vocabulum barattariae origine sua non latinum sed vel Italicum vel Gallicum, potest enim deduci vel ab Italicu barattamento, quod idem est ac deceptio vel dolus, vel à Gallico baratier sive barateur, quod idem ac deceptor seu impostor, & talis dicitur barattarius qui propter pecuniam vel aliud quid justiam baractat, hoc est permutat. Der das Recht verdrehet/ uti Germ. loquuntur Par. de puto de Syndicatu verb, barattarian. an autē barataria, barattaria, baratteria an baracteria legatur, mihi perinde est, nec litem hanc, quia nullius momenti, meam facio, neque tam in vocabuli lectionem, quam crimen ipsum sub verbo barattaria complexum sum intentus, magis tamen conveniens crediderim, si barattaria legatur, quoniam eum derivatione Italica & Gallica magis convenient: Quod crimen in foro seculari idem fere est cum eo, quod Pseudo Theologi in foro ecclesiastico per simoniam committunt, dum sacerdotium aliaque spiritualia sibi pretio comparare intendunt t. t. X. de Simon, gravissimum enim est crimen, dona Spiritus Sancti corruptibili aestimare pretio cap. 2. extra de Simonia nec pretio sed precibus ordinandus Antistes 1.31. C. de Episcop. & Cler. hinc quoque Clericus Sacerdotium turpiter ambiens de jure Canonico privatur Sacerdotio, notatur infamia, & pecuniam, quam pro Sacerdotio dedit, Ecclesiae cuius voluit comparare Sacerdotium, vindicatur t. t. X. de Simon. Nov. 123. c. 2. §. 1. sicuti igitur Pseudo-Theologus pretio sibi sacerdotium comparans in crimen Simoniae incidit, ita quoque judices seu Magistratus committunt crimen illud barattariae vel repetundarum scedissimum & detestabile, accipientes encoenia seu munera ab iis qui eorum potestati subsunt, qualia munera oculos judicum exceccant Exod. 23. v. 8. pervertunt verba justorum Deuteronom. 16. v. 19. & improbus accipit è sinu munus, ad pervertendum itinera juris Proverb.

A 3

17. v. 23.

17. v. 23. adeo ut omni quoque jure prohibitum omniumque rerum turpisimum sit, maximeque nefarium, illum qui iustitiae praest muneribus corrumphi. Vid. 1. Sam. 12. v. 3. & 4. Iudex enim talis contra Deum, contra iustitiam, contra debitum officii sui, cui tamen juramento in initio officii ejus praesito est adstrictus, contra proximum delinquit, & sic nec Deum timet, nec hominem reveretur: Ut autem predicar, & initium mei instituti faciam, ordior à definitione hujus criminis, quod crimen barattaria sive repetundarum describitur, crimen commissum, ab eo, qui in Magistratu, potestate, curatione, legatione vel alio officio ministeriove publico accipit pecuniam; quo magis aut minus officium faciat l. 1. pr. l. 3. & 4. ff. ad leg. jul. rep. occurruunt igitur mihi secundum definitionem & methodum primum personæ crimen perpetrantes, parum enim aut nihil prorsus esset, hanc tractare materiam, si personæ quarum causa tractetur, ignorarunt arg. §. fin. l. de I. N. G. & C.

II. Inter quas personas agitur secundum d. l. 1. ad L. 1. Rep. de iis, qui in Magistratu sunt constituti; ubi prænotandum, quod licet apud veteres Romanorum, differentia esset inter Magistratum & judicem, Magistratus namque jus quidem dicebat, sed judicem alium dabat l. 3. & 13. de juris dict. qui de facto cognosceret pr. l. 15. in fin ff. ad municip. l. 5. 12. & pen. de judiciis quando Magistratus ipse sive judicare nollet, sive aliis negotiis impeditus non posset l. 2. C. d. pedan. judic. aut humiles essent causæ, l. 5. C. cod. tamen hæc differentia per Nov. 82. sublata; nec ulla hic inter Magistratus & judices est attendenda, sed promiscue uno comprehenduntur vocabulo; Describuntur autem Magistratus, quod sint personæ à Deo datae & constitutæ, vices Dei in terra gerentes, quæ secundum legem & normam tam divinam quam humanam, divinæ tamen conformem, honesta, utilia & omnibus necessaria

DISPUT. DE BARATTARIA.

faria præscribentem, pupillorum & viduarum causas promovent, vim omnem coercent, tenuiores ab injuriis potentiorum defendunt, & ut generaliter loquar, quæ prospiciunt accavent, ut secundum tria juris præcepta quilibet subditorum honeste vivat, alterum non lardat, cuique suum tribuat: Magistratus itaque licet boni & innocentis viri officio fungi debeant l. 4. §. 1. ff. fam. ercisc. nec quovis prætextu quamvis rationem acquirendi ad suum compendium trahere l. 6. ff. de bon. damn. neque justitiæ administrandæ occasionem in turpisimum lucrum convertere l. 3. C. ad L. jul. rep. neque publicum officium privato lucro accommodare l. 29. ff. ex quib. caus. maj. aut inde rem augere familiarem caus. 23. quest. 1. c. 5. licet manus Deo & legi servare mundas, nec illum contingere lucrum, neque majus neque minus, neque captiosum quicquam contra subjectos facere, sed contenti esse à fisco ministratis Nov. 17. c. 1. & 5. licet ab omni violencia abstinere debeant l. 1. §. 5. C. de officio pref. prætorio Africalicet quoque Magistratus pro se habeant præsumptionem justitiæ & innocentia l. 2. C. de offic. civ. judic. Veritas tamen sæpe est in contrarium, & experientia proh dolor quotidiana, efficax rerum magistra cap. 6 de electione in sexto satis superque probat, affectus & amorem auri, sæpiissime oculos & aures Magistratum excœcare & obfuscare, ut cæci quasi & surdi, scienter à veritatis & justitiæ via deflectant, ac multos omnino reperiri officiales, qui recipiant aliquid à privato, ut faciant non facienda, vel omittant ea, quæ sunt facienda, per pr. l. 7. ff. ad Leg. jul. Rep. judicium sive justum sive injustum privato vendant caus. 14. quest. 5. can. non sane 15. causa 11. quest. 3. can. non licet 71. justitiam pro injustitia ob remunerationem permutent, leges, (Sacratissimas in l. 9. C. de LL. & commercio hominum exemptas §. 7. I. de R. D.) vendant, & sic alienum juriū suam putent prædam l. 3. C. b. t.



C. b. t. adeo ut s̄episime plus favor judicis, quam lex valeat in Codice.

III. Secundum locum personarum crimen barattariæ committentium tenent hi, qui in potestate aliqua sunt constituti: ubi notandum, quod sicut ius nostrum, quo utimur bipartium est, in publicum quod sc. ad statum communem pertinet principaliter, & consequenter ad singulorum utilitatem; & privatum quod principaliter ad singulorum commodum, secundario vero & consequenter ad totius reipublicæ salutem componendam & corpus universale spectat conservandum §. busij studii 4. I. de I. & I. l. 1. §. 2. ff. eod. ita quoque potestas dividi potest in publicam, quæ publicam in omnes habet autoritatem, & privatam, quæ non in omnes, sed ad aliquos tantum pertinet singulares, publicum consistit in sacris, sacerdotibus, principibus, Magistratibus, &c. Privatum vero in reliquis; De privata igitur potestate prius, brevissime tamen agendum, quæ præludia ad publicam docebit, & ex qua publica, veluti ex membris composita exsurgit,

IV. Utique tam publica quam privata potestas quidem est administratoria ac gubernatrix, publica tamen plurimum, privata vero paucorum & constituantur privatae potestatis in personas octo species, quarum prima circa domesticos, secunda in uxorem, tertia patria, quarta tutoria, quinta curatoria minorem, sexta curatorum furiosorum, septima curatorum prodigorum, octava dominica de quibus speciebus quidem singulis tractandum esset, nisi nimia prolixitas me inde abstraheret, præprimis cum hæc privatae potestatis species proprie & principaliter non tendunt ad nostrum scopum, progrediendum itaque ad publicarum personarum potestatem.

V. Quæ potestas publica subdividi potest in Ecclesiasticam

DISPUT. DE BARATTARIA.

9

sticam & secularem: Homo enim considerandus est in suis præcipuis partibus, quibus conflatur, anima scil. & corpore: Sic aliis cura potior est vel excellentior rerum Spiritualium, earumque, quæ ad salutem animæ pertinent, aliis major corporis, & rerum quæ ad politiam & quietem rei publicæ, & quæ ejus sunt administrationis, spectant: Unde & duo genera universalia, unum clericorum est, spirituibus deditum & sacris inserviens, alterum Laicorum qui secularia curant & tractant: Quoniam itaque potestatem publicam Ecclesiasticam hic pertractare non est nostri instituti, ad alteram scil. secularem; illam aliis tractando relinquentes proprio.

VI. Quæ secularis potestas omnibus non est æqua, nam sicut alii Magistratum majores, alii minores, ita quoque aliis conceditur major, aliis minor potestas, pro capacitate scil. subjecti, cui inhæret, nec obst. quod in l. 32. ff. de injur. & l. 26. ad munic. minoribus Magistratibus denegetur potestas: Notandum enim quando in dd. & aliis LL. dicatur quod Magistratus minores sint absq; potestate, per potestatem intelligi majorem & augustinorem autoritatem & excellentiorem jubendi facultatem, ut potestas & imperium quandoque pro Synon. habeantur, qualis potestas utique denegatur minoribus Magistratibus, dum vero minores Magistratus jurisdictionem exercent, & illi præsunt, quis iis denegabit potestatem? nam certe jurisdictio absq; potestate, esset instar campanæ absq; pistillo, & cui jurisdictio data est, ea quoq; concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest l. 2. ff. de jurisdict. puta potestas exequendi sententiam &c. Imo jurisdictio absque modica coercitione concessa, inanis, elusoria & nulla est l. 5. ff. de offic. ejus cui mand. est juris d. l. ult. ff. ne quid. in loc. publ. & parum imo nihil esset jura in civitate esse

B

esse



te esse, nisi sint qui ad effectum ea deducant, regant & ad usum societatis humanæ ac commoden *l. 2. §. 13. de O. I.*

VII. Quamvis autem vocabulum potestatis late quidem pateat, dum in persona Magistratum, imperium, in persona liberorum, patriam potestatem, in persona servorum, dominium; in aliis copiam & facultatem &c. designet *l. 215 de V. S.* colligi tamen ex hypothesi facile poterit, præprimis præmissa divisione & subdivisione cui accedat, quod sc. hic per potestatem, publica secularis pro subiecta hac materia potissimum sit intelligenda, qualem potestatem non tantum habent illi, quibus major potestas concessa, quorum sit mentio in *§. 3. I. de excus. tut. vel curat.* sed illi quoque intelliguntur, qui minori fruuntur uti in tibi proxime precedenti latius dictum, quo me refero: Neque *l. 1. b. t.* contrariatur, sed consentit, dum appositum est vocabulum aliqua, quæ nil nisi generalitatem inducit, ut sensus sit, quod omnis, qui potestate aliqua, quæque illa sit, gaudeat, tenetur crimine barattariae, si quid accipiat, quo facile induci possit, ut magis faciat, quæ vi officii facere non debuisset, vel omittat ea, quæ ipsi facienda incumbuissent.

IIX. Tertio deprehenduntur in *l. 1. ff. ad L. I. R.* personæ in curatione sc. reipublica existentes, qui gerunt honores & munera reipublicæ, promittentes rempublicam salvam fore *l. 1. pr. ff. de Magistr. convenient.* quales sunt, qui ingenii dotibus præstant, vel natalium splendorē illustres sunt, adeo ut ea propter in hunc mundum quasi positi videantur, ut aliis opere & consilio præsent, quare quoque eorum officii est, rationem & modum addiscere, quo societas humana seu cætus publici utiliter administrentur; vulgo Catores reipublicæ dicti, quorum mentio fit, in *l. f. ff. de offic. ad fess. l. 37. ff. de paet. l. 2. §. 6. ff. de administ. rer. ad civit. pertin. l. 3. §. 1. eod. l. 46. ff. de damn. infect. l. 2. C. de sent. quas sine certa &c.*

*¶*e. ad quam curam ac administrationem reipublicæ eliguntur viri fama integerrimi, qui præter honestatem atque commodum publicum nil spectant, non temere, sed rebus necessariis probe instructi, publica negotia capessenda suscipiunt, non doméstico laborant sumo, non avaritia magis quam justitia regunt, non justitiam pro injustitia spe remunerationis permutant, neque secundum pecuniam sed leges judicant & reipublicæ commodum curant.

IX. Verum enim vero quantum floreat, quantum vivescat, quam beata, quam felix sit respublica, si gaudeat talibus curatoribus & administratoribus, qui plus quam paterno rempublicam prosequuntur amore, qui diligentem ejus curam agunt, qui pro ea vigilant, & de eo nocteque dieque solliciti sunt, ut vitam agant subditi placidam & tranquillam, tantum econtra labefactatur, dissipatur & corrumpitur, quando luxuriosi, discordes, raptiores injusti, avari regunt & in ea dominantur, qui eos, quibus præfecti sunt in munere & officio, miserrime vexant, pauperibus nil ferentibus, justitiam denegant. & econtradictioribus, ementibus quasi vel permutantibus, vel alio illico modo justitiam acquirentibus, eam largiuntur. Hinc Sanctissimus Imperator in toto tit. ff. ad L. I.R. l. 18 ff. de officio praesidis l. 4. §. 2. de offic. procons. & leg. & alibi binc inde in Dig. & Cod. De remedio prospexit, quo mediante respublica a corruptione & intemperitu (quaे per avaritiam Curatorum seu Administratorum procuratur) si non in totum, in tantum tamen immunis sit, de quo remedio infra pluribus.

X. Rei quoque hujus criminis quarto fiunt Legati, ubi vocabulum Legati non solum comprehendit eum, qui publice ad hostes, ad confoederatos, apud exercitum Legatus est, sed & omnis cui cura alicujus rei extra ordinem iuncta est, ut si quis legetur ad frumentum emendum l. 7.

§. 3. ad L. I. R. aut alia expedienda negotia: Unde Qv. si a municipibus quis sit ad Principem missus seu legatus, an teneatur hac lege: videbatur quod non, quia municipia habentur loco privatorum l. 16. ff. de V. S. in fine. ut ideo Legatus municipii non publico judicio sed extra ordinem coereri videatur: Verum cum crimen hoc ad municipales quoque Magistratus pertineat, consequens est, ut & Legati municipiorum hac lege Julia teneantur & coerceantur arg. l. 4. l. 12. ff. de vacat. muner. l. 8. de Legationibus, licet enim proprie loquendo Municipii res non sit publica, in multis rāmen pro publica habetur, & Legati municipiorum iisdem fere privilegiis, quibus Legati Principis aut populi Romani, gaudent l. 8. ff. ex quibus caus. maj. l. 1. C. eod. l. 19. pr. ff. de excusat. l. 4. & 12. ff. de vocat. & excus. mun. l. 8. §. 1. ff. de legation. l. 4. §. 7. ff. ad L. 5. pet. Nec refert (1.) quod secundum L. 1. ff. de Legation. poena afficiatur extraordinaria deserens legationem, Nam inde necessario inferri nequit, eum qui in legationē injuste quid acceperit, quo magis aut minus officium faceret, repetundarum non teneri. Nec officit (2.) quod ea tantum publica sint, quæ populi sunt Romani, non quæ civitatum l. 13. ff. de V. S. est enim d. l. intelligenda proprie & relate loquendo ad urbem Romanam, quæ sola tanquam caput habet bona publica, abusive autem non tantum inter publica habentur res sacræ, religiosæ vel quæ publicis usibus sunt destinatae, sed & quæ sunt civitatum & peculia servorum l. 15. pr. & l. 17. ff. cod.

XI. Ut autem ad scopum nostrum redeamus an sc. Legarus in legatione possit munera accipere, sciendum omnino, quod magna ab acceptance munierum enascatur suspicio & præsumtio perfidiæ & corruptionis, munera enim dicuntur prævaricatio veritatis C. qui recte 66. caus. II. quæst. 3. in fin. & animi hominum facile muneribus inescantur,

tur, obcœcantur capiuntur, fascinantur quasi, ut à cura ad incuriam à fide ad perfidiam, à veritate ad mendacia, ab officio superiori debito ad proditionem ejusdem detorqueantur *Deuter. 16. v. 18. & 19. Exod. 23. v. 6. 7. 8. 9.* ac munera accipere signum sit animi ad proditionem parati & cum adversariis consentientis. Vix enim aliquis ab alio, quam eo, cui bene vult munera accipit: Causæ patronus ab alio, quam suo cliente sine prævaricationis crimine honorarium non accipit: Mulierem ab alio, quam marito munera capere, impudicitæ & inhonesti quaestus est indicium: Ita Legatus qui ab alio, quam ejus superiore salaryum, munus vel honorarium accipit, proditionis perfidiae & legationis male obitæ suspicionem vix effugere potest, qua ratione nonnullæ gentes moræ, concedere noluerunt Legatis munera: Veneri enim graviter Legatis prohibuerunt munera accipere, ut & Dux Moschoviæ qui Legatis ad se redeuntibus munera auferre solitus est, nec minus & simili modo Athenienses singularern tulerunt legem, ne Legati sub poena gladii munera acciperent, & non modo tulerunt eam, sed quoque servarunt, adeo ut Legatus quidam, licet honorificam omnibusque probatam pacem cum Rege Persico fecisset, quoniam tamen in legatione munera accepisse visus fuerat, parum absfuit, quin occideretur.

XII. Est tamen cum grano salis accipendum, quod Legato munera accipere non sit licitum, & ut accuratius loquar, optime & commodissime hæc investigari & expeditri poterunt, si sc. distinguatur inter munera benevolentiaæ sive honoris gratia data, & ea quæ corruptelaæ causa dantur: Illa, honoris & benevolentiaæ gratia data, nil aliud sunt, quam mutuaæ inter Principes amicitiaæ symbola, Regiæque liberalitatis monumenta, quæ citra ullam perfidiæ suspicionem modestè accipi possunt, nec aspernanda neque recusanda

sunt, sunt enim munera ordinaria Legatis discedentibus dari solita, quod confirmant exempla plurima & probatissima: Beneficium namque dare & accipere honestum est, & maxime quidem, si illud à superiori, hoc autem ab inferiori fiat: Licitum itaque erit Legatis talia munera accipere, præprimis cum rusticitatis, inhumanitatis, morositatis, insolentiae, superbiæ & extremi contemptus esse videatur, dona Principum recusare, modo cesser corruptelæ, perfidiæ & doli causa ac suspicio, nec caret periculo à Legatis Principem repulsam ferre, cum & non subesse possit corruptio- nis suspicio, sed fere debitum solvatur, est enim consuetudo antiquissima & omnibus pro nationibus consuetu- do familiaris, Legatis discedentibus dona ac munera dari & deferri.

XIII. Dolosa autem munera quæ ob corruptionem, incuriam, perfidiam, proditionem &c. perpetrandam dan- tur, Legatus, si evitare velit poenam, crimen Legis Juliacæ rep. concomitantem, accipere non debet.

XIV. Absolutis brevibus & pertractatis personis in no- stra lege in specie expressis, agendum nunc de iis, quæ in genere hac lege continantur, de quibus verba legis se ita habent: Lex julia rep. pertinet, ad eas pecunias, quas quis in quoconque alio officio ministeriove publico capit, vel cum ex cohorte eorum est.

XV. Concernit igitur lex julia rep. in genere omnes, qui cum aliquam potestatem habent, sive aliquo officio ministeriove publico funguntur, pecuniam vel aliud quic- quam accipiunt, quo magis aut minus quid eorum officii faciant 4.1.3. & 4. b. t. ut itaque & horum species nonnullas breviter percurram, notandum, quod non tantum præme- moratae species officialium, sed & hi qui ob denuntiandum vel non denuntiandum, remittendum vel non remitten- dum,

dum, ferendum ve vel non ferendum testimonium, ob accusandum vel non accusandum, pecuniam acceperunt, hac lege teneantur & coerceantur *l. 6. in pr. ff. ad L. l. rep. l. 4. in fin. ff. de accusat.*

XVI. Ut & non minus illi, qui ob militem legendum mittendum ve es accipiunt *l. 6. §. 2. ad L. l. rep.* qui falsum militum numerum referunt, qui de militum stipendiis sibi lucrum querunt *l. ult. §. 8. & 9. C. de offic. pref. prat.* qui occasione & ratione transitus militaris per concussionem aliquid accipiunt *Nov. 130. poena legis jul. rep.* sunt afficiendi.

XVII. Per analogiam quoque tutores & curatores, pupillos & minores, qui eorum tam ratione personæ, quam rerum, potestati & curæ sunt subjecti, defraudantes, hac lege tenentur, eorum enim munus & officium quasi publicum est *pr. l. de excus. tut. vel. cur.* nec refert, quod quidam ea forsitan moti ratione, quod potestas & jus constitutorum tutorum sit privatum ac domesticum, contrarium statuant: Licet enim tutorum potestas dicatur privata & domestica, hoc tamen tantum principaliter de actu ipso exercendi potestatem, in provida cura omnis honestæ ac liberalis educationis, & patrimonii pupillorum proba administratione consistente, intelligendum, per consequentiam vero & ratione officii constituendi, & criminis, quod quis in officio constitutus comisit, coercendi, publicum munus est, constituuntur enim tutores publica magistratus autoritate & ad publicam curam pertinet, ut pupillis propiciatur *l. 2. §. 2. qui pet. tut.* in omnibus negotiis gerendis & contractibus celebrandis incumbit Magistratui ceu tutori superiori inspectio, ut probe non dolose gerantur; tenentur tutores rationes reddere gestorum Magistratui, imo Magistratus in improbos tutores, res pupillorum ad se trahentes, &c. publice animadvertiscant.

XIX. Nec Advocati immunes sunt ab hoc crimine, quando prohibitam advocationem suscipiunt l. i. §. 6. de pos. aut scienter malæ patrocinantur causæ, justam enim non injustam causam aut deploratam suscipere debent, adeo ut quoque deserere debeant inalam causam & ab ea recedere, quam in principio bonam crediderant l. 14. §. 1. C. de judiciis nec fieri potest, quin peccent, dum malum, bonum, injustum, justum, vel contra dicunt, *Esaïæ 5. v. 20.* præprimis cum id cum maximo dedecore ipsorum coniunctum sit, ita ut de iis dicatur, turpes lites, turpiores habent advocates, undecunque lucrum captantes, debent igitur abstinere a dolo malo (qui est malitia in alterius damnum prorumpens l. 1. ff. de dolo malo arg. l. 6. C. de pignor. act.) ad quem omnia illa, quæ legibus sunt vetita, pertinent, veluti *Mendacium*, veritas enim magis, quam pecunia queri debet, usque adeo, ut si alterutrum sit factu necessarium, aut sibi veritatem dicendo nocere, aut mendacium loquendo evadere, vir bonus, potius cum veritate vinci, quam cum mendacio vincere debeat, ut itaque falsi crimen publicum & punibile, advocate nec ipse practicare debeat, nec clientulum suum id docere, nec testes instruere, ut falsum deponant, licet veritatem rerum gestarum ab ipsis querere possim: *Calumnia* quoque odiosa est, non tantum illa, quæ in falsi crimen incidit l. 1. §. fin. ad scđum *Turpill.* sed etiam illa, quæ proprie cavillatio dicitur l. 177. ff. de V. S. quo referenda malitiosa vel calumniosa interpretatio juris, cum salvis legis verbis sententia circumvenitur l. 15. C. de LL. c. 3. circa finem de V. S. in sexto verb. nec intellectus ipsius & rigor legis scrupulosis & excogitatis artibus eluditur l. 14. §. fin. C. de adess. *Protractio litis*, utpote *calumniæ proxima* l. 13. §. 9. C. de judiciis, sive illa propter multitudinem causarum ex culpa & negligentia, vel ex do-

lo &

Io & avaritia, cum lucri causa lites in longum protelantur, originem trahant, neque iudex ambages in processu, neque libellum ineptum admittat *l. i. ff. de offic. ad seff.* peccat enim qui cum veritatem habet, per ambages vadit: *Prævaricatio*, quando Advocatus causam sui clientis absque justa causa deserit, adversario suo prodit, & cum eo colludit, vel clientem suum bono jure nitentem ad iniquam transactio- nem inducit. *l. i. C. de advocat. divers. judic.*

XIX. Quæ tamen non de veram Philosophiam sive jurisprudentiam sed tabulariam tractantibus artem dici merentur, tabulæ autem forenses a veris jure Consultis lon- ge differunt, illi enim non sunt legum doctores sed dolores, non jure consulti, sed tumulti, non sacerdotes sed ju- stitiæ mangones, quorum manus oculatae sunt, credunt, quod vident, qui juramentum in initio officii præstitum non magis curant, quam antiquæ domus sumum.

XX. Possunt & huc referri illi, qui bonum litis even- tum & sententiam favorabilem vel singularem gratiam ac benevolentiam Serenissimi vel aliorum Magnatum, quam ne tentarunt quidem, nec tentare audent, pecunia vel alia re accepta vel promissa fâtem promittunt *l. io. C. de accu- sat.* vulgo sumi venditores dicti, qui sumum quasi vendant, dum illiciti lucri causa certo promittunt, quæ maxime in- certa sunt & dubia, de quorum perversorum hominum fœ- ce nonnulla exempla, rem eo magis illustrantia, allegare quidem possem, sed quia sunt odiosa, silentio prætermitto.

XXI. Äquali modo Magistratus & potestatemi ali- quam habentes non tantum ipsi, hac lege conveniri pos- sunt, quando pecunia corrupti non agenda agunt vel agen- da intermittunt *l. i. ff. ad L. jul. rep.* sed & comites & qui ex cohorte eorum sunt, Assessores, Secretarii, Notarii &c. hac lege tenentur *l. i. vel cum ex cohorte l. s. ff. ad L. J. R.* quod

C

quoque

quoque de sociis, consociis vel complicibus aliis, qui æque, ac judex vel officialis ipse, lege repetundarum conveniuntur *l. 1. §. 1. ad L. Corn. de falf.* quales sunt uxori officiales, *l. 4. §. 2. de offic. procon. domestici, manipularii, ministri &c. quod enim quis per alium facit per se ipsum fecisse videtur l. 5. ff. ne quis eum qui in jus l. 1. ff. de eo per quem, adeo ut officialis, qui ipse ut innocens sit, provideat, ergo & ministros suos ab omni injuria continere debeat Nov. 80. c. 8. pro his teneatur *l. 1. & 5. ad L. J. R. l. 1. C. cod. l. 1. pr. de publicanis*, imputet enim sibi quod tam perversorum hominum opera usus fuerit, quos tamen punire & corrigeret *l. 12. C. de officio rectoris provincie* vel incorrigibiles dimittere poterat, quod tamen intelligendum tantum de poena civili, de qua infra prolixius, hoc tantum addendum, quod judex se liberare possit à tali poena, exhibendo ministros & familiares, nisi se pro his expresse obligaverit & in se receperit, sic enim conventio dat legem contractui, *l. 23. de R. J.**

XXII. Licet ordo accipientium pecuniam latius deduci ac dilatari posuit, quoniam tamen odiosa potius restringenda, quam extendenda *c. 15. de R. J. in sexto* sufficient hæc de personis pecuniam recipientibus & corruptis ut in justitiam loco justitiae administrent, & progrediamur ad alteram classem dantes sc. pecuniam & corruptentes, qui æque ut recipiendo pecuniam corrupti, in hoc crimen incidunt per *l. 2. §. 2. de condic. ob turp. caus.* quod non modo de iis qui quicquam judici, Magistratui vel alii cuidam dando, ut id, quod non est juris contra jus & justitiam in sententiam ferendo pronuncient, occasionem præbuerint, intelligendum *Nov. 124. c. 2.* sed & adversus eos quoque, qui ad adipiscendam dignitatem præsidi quicquam dederunt, actio ad legem juliam rep. in quadruplum sc. exercetur *l. 7. ff. l. fin. C. ad L. J. R. cum æquum sit eorum quoque dolum*

lum ac maleficia impune non dimitti, neque provinciæ re-
ctores & gubernatores sive officiales ambitione vel pretio,
sed viri sapientes & testimonio probatae vitæ ad regendum
republicam promoveri, qui timent Deum & oderunt a-
varitiam, nec ullo honore dignus, sed omni honore pri-
vetur, qui illico modo per pecuniam vel alia artifia minime concessa honorem appetit, adeo ut quoque si quis con-
tra legem Julianum ambitus Magistratum aut sacerdotium
petierit per Senatus consultum centum aureis cum infamia puniretur. *l. unic. §. 1. ff. ad L. J. ambitus*, & licet quis na-
tus sit dignitatem illico modo, debet tamen iterum eā
privari, cum famosis & notatis porrā dignitatum non pa-
teant; Et quamvis à nonnullis Gentibus nundinationes per-
mittantur officiorum publicorum ad augendum ærarium,
non tamen quid Romæ fiat, sed fieri debeat, est animad-
vertendum *l. 12. ff. de offic presid.* est enim hic modus ærarii
augendi foedissimus, turpisissimus & maxime detestabilis,
cum permisso uno & alterum permitti necesse sit, permis-
sione officii permitti debet venditio iustitiae secundum
vulgarum illud de Papa Alexandro 6.

Venit Alexander Sacra menta, Altaria, Christum,
Emerat ille prius, vendere jure potest.

Et uno principio illjicto dato & concessio oriuntur plurima,
pecunias ex Magistratibus colligere omnis iniquitatis & in-
justitiae principium ac finis est Nov. 8. nec ullum omnium
sordidorum mercaturæ generum, quaæ varia sunt, sordidi-
us, nullum turpius, nullum detestabilius mercatura Magi-
stratum, honorum ac per consequens justitiæ, virtuti e-
nim pecunia præfertur, & qui pecuniam dat protali bene-
ficio habendo præsumitur habere animum male faciendi,
præprimis, si muneri, quod mercatur, non sit idoneus, quod
hodie infrequens non est, quando apud plurimos plus va-

let aut pecunia, aut favor, aut effectus aut sanguis & hæc vel conjunctim vel separatim quam dotes divinæ, virtutes &c. juxta Vers.

*Dignus & indignus pariter nunc ambit honores
Atque ablativus casus utrumque beat.*

Denique notandum quod dum in l. i. §. 1. & l. 7. §. 1. b. t. sobri-
ni, propiore gradu cognati ac uxor excipientur quod ab
iis pecuniam accipere liceat, ex eo sequatur quod qui Ma-
gistratum potestatemve exercet, à nullo potestati illi sub-
jecto sub quoconque prætextu pecuniam accipere liceat,
ne forte aliquando in gratitudinem munera accepti pro
illis jura aliorum pervertant, quæ ratio cum in sobrinis pro-
pioreve gratu cognatis cesseret, eo quod sibi & suis jus dicere
nemo debeat l. 10. de jurisd. tot. tit. C. ne quis in sua cauf. jus di-
eat, ideo ab illis qui proprii gradu Magistratui vel po-
testatem gerenti juncti sunt, munera in conjunctissimæ ami-
citiae signum accipere licet, dum per hæc nemini præjudi-
cium fiat.

SECTIO SECUNDA.

Th. I.

Brevitatis studio abrumpo hic filum , mittens primum
membrum nostræ dissertationis, materiam persona-
rurn, tractaturus jam munera ipsa, sive res ob quas
seu quarum intuitu quis committat crimen barattariae:
Quæ munera consistunt in pecunia l. i. pr. b. t. cum qua idem
est quando in nonnullis legibus dicitur per sordes id est ac-
cepta pecunia judicare; sunt enim sordes pecuniariæ cor-
ruptiones l. 9. §. 1. de recept. qui arbitr. recep. & sordidi magi-
stratus sive judices pecunia & sordium consilio sententiam
proferunt unde sordium damnatus dicitur is , qui repetun-
darum damnatus est.

II. Pe-

II. Pecunia vero vocabulum hic latissimè sumitur ita ut non tantum pecuniam numeratam complectatur (quæ in minima quoque quantitate consistere & cum ea hoc delictum perpetrari posse testatur l. 7. §. 1. b. t.) verum omnem omnino pecuniam, hoc est omnia corpora, quæ estimationem recipiunt, designat, corpora enim pecuniæ appellatione quoque contineri neminem dubitare inquit Jureconsultus in pr. l. 178. ff. de V. S. imo pecunia nomine omnes res l. 2. §. 1. de consit. pec. tam soli & immobiles, quam mobiles tam corpora quam jura continentur l. 222. ff. d. t. l. s. eod. & pecuniam accepisse dicitur, etiamsi aliquid pro pecunia acceperit l. 1. §. 4. ff. de Calumniis.

III. Ut inde in officio publico constitutus barattariam perpetret, non tantum pecuniam, sed etiam qui quodvis aliud donum recipiens iustitiam, suas operas &c. quasi vendere intelligitur, Et hoc sive ex contractu, sive quocunque alio iuris velamento originem trahat l. f. C. b. t. judex enim non tahtum dicitur corruptus, si pecuniam sed etiam si aliam rem vel ex re aliud commodum seu utilitatem sentiat, veluti si litigator judici debitum aliquod remittat l. 2. & 3. de Calumn. frumentum vel aliud quid gratuitu muto det d. l. 2. eod. neque interest an commodum tale in donatione, venditione aut locatione constat, aut si plures vel minoris venditio vel locatio fiat l. pen. §. 1. ff. b. t. quæ eo magis vindicentur in fraudem legis facta arg. l. 1. §. 4 ff. de calumn. ad quod præcavendum olim Magistratibus negotiari plane interdicebatur l. 33. ff. de rebus creditis l. 16. C. si cert. pet. nec obstat l. 34. ff. de reb. cred. utpote quæ loquitur de Præsidis provinciæ officialibus perpetuis d. v. l. 33. eod. de temporibus, quorum officium erat annale, quibus non erat permisum intra tempus officii, nisi extrema urgente necessitate, negotiari, perpetuis vero permittebatur omnes con-

tractus, modo suspicio corruptelx cesser, ne fraus legi quæratur, celebrare, quod verum sive durante, sive de deposito officio id officialis recipiat l. 4. & ult. b. t. sive directo, quando quis principaliter & proprio nomine à dante seu corrumpe nte accipit, sive per indirectum, si negotium vel ab utraque vel altera tantum parte per alium geritur e. gr. quando judex per domesticos sententiam revelari permittrit l. 15. §. 30. ff. de injur. & fam. libell. aut procuratoribus arcana cauſa detegit l. 3. & 4 ff. b. t. l. 3. §. 3. de calumn.

IV. Quod crimen incurrit officialis æque in bona quam mala causa, neque enim pro illa promovenda quicquam Magistratui vel judicii dari vel accipi licitum esse refiantur l. 4. ff. b. t. l. 3. C. eod. l. 2. §. 2. de condit. ob turp. cauf. l. 1. C. de pœn. jud. qui mal. judic. est enim res mali exempli judicem in bona causa quid accipere, ut inde sententiæ redantur venales can. 15. non sane cauf. 14. q. s. can. 71. cauf. u. q. 3. & animi judicium ad corruptelam inducantur uti notanter ait Owenus.

Munera qui mittit, sperat majora remittit.

Nemo suas vellet perdere gratis opes.

Tanta enim in Magistratu desideratur integritas & fides, ut non solum ab avaritia ipsa, sed omni avaritia suspicione quoque debeat esse alienus, ut nunquam videatur ob quæstum pronuntiasse & sententiam tulisse uti Jethro Mosi dixit in cap. 18. v. 21. Exod. cauf. u. q. 3. can. 65. §. h. ergo neque licet Magistratui ob justam sententiam ferendam quid accipere, cum & is turpiter faciat, qui pecuniam accipit, ut faciat id, quod gratis facere vi officii obligatus est, præprimis cum justitiam administrare sit res sacra, quæ estimationem, quæ tamen in emtione & venditione necessario requiritur, non recipit, judex extra omnem controversiam bonis male uitetur, dum juste pro temporali lucro judicat can. qui recte

66. cau-

66. causa 11. q. 3. gratis enim debemus dare, quæ gratis acceptimus Matb. 10. can gratia 15. quest. 1. causa 1.

VI. Simili modo incurrit crimen repetundarum iudex, si accipit pecuniam, ut citius expediat causam, vel in longius processum protrahat, ut inde non dans ob radium litigii teneatur aliquid de jure suo remittere.

VII. Quod crimen sc. barattariae Magistratus committit licet non perficerit barattariam, quod sc. pecuniam acceperit, vel etiam si saltē promissa, non tamen sententia sit secuta autb. novojure C. de pœna judic. qui male judic. l. 3. §. 1. ff. de calumn. pr. l. 3. ff. quod quoque juris in alium punitur enim effectus, licet non fuerit secutus effectus, cum sola vera rei acceptio seu promissio eum corruptum & furem esse judicet l. 65. ff. de furtis & conatus in hoc criminis punitur sicut in crimine læsæ Majestatis: *Mascard. de probat. Vol. 1. conclus. 164. n. 8. in maleficiis enim gravioribus voluntas in aliqualem actum producta, non exitus spectatur L. 14. ff. ad L. Corn. de Sicariis quod tamen subaudiendum de casu, quando iudex non restituerit datum, si vero pœnitentia ductus restituisset, iudex vere corruptus dici non potest, quapropter quidem tali peccato pœnitentia sua in totum nocens esse non desinit, nec tamen eadem pœna, ac si effectus fuisset secutus, sed in quantum ob delictum commissum manet obligatus & extraordinarie tantum punitur. d. l. 65. ff. de furt.*

IIX. Questionem hic inserendam necessarium putavi, an sc. iudex post sententiam latam quicquam ab uno litigantium remunerationis causa, citra crimen barattariae accipere posse? Multi clarissimorum JCorum id affirmant, ea ratione moti, quod hic cesset suspicio & corruptionis causa uti inter alios *Menochius de presump. libr. 2. cent. 4. cas. 342. n. 39. addita limitatione, nisi sententiam præcesserit promissio*

missio pecunia expresa, aut aliqua promissionis suspicio aut tacita conventio, aut spes aliqua recipiendi &c. *Prosp. Farinacius in Q. CXI. num. 213.* Non vero tanta mihi videatur ratio & limitatio à Menochio & aliis allegata, quod scilicet post sententiam latam cesseret suspicio & corruptionis causa, ut affirmantium opinioni assentiar, sed ratio non minus, quam leges expressæ me urgent contrariam tueri opinionem, & licet inficiari nolim, quidem corruptionis suspicio & præsumptio cesseret ratione sententia latæ & litigii antea finiti, crescat tamen illa ratione litis futuræ, ut officialis ob remunerationem antea præstitam inde alliciatur, ut intuitu futuri commodi sententia potius in divitis favorem contra pauperem, à quo nihil remunerationis causa sperandum, feratur, & sic causa & occasio detur peccandi & delinquendi confer. *Dn. Struv. in Syntagm. juris civilis Exerc. 49. Tb. 73. Antho-nius Matthaeus de crim. ad tit. de crim. rep. 8. c. i. n. 8.* qui enim remunerationis premium expectat, fraudem in Deum perpetrat *C. qui recte 11. caus. 66. quest. 3.* quod quoque leges expressæ contraria confirmant dum in l. f. C. ad L. J. R. expressis verbis dicatur, nihil penitus, tam in administratione positos, quam post depositum officium pro aliquo beneficio accepturos & l. i. § hoc autem judicium ff. de calumn. qui accepit pecuniam sive ante sive post judicium acceptum, teneatur, generaliter enim sola spes aliquid consequendi potest corrumpere Magistratum & inducere crimen repetundarum.

SECTIO TERTIA.

TH. I.

Ob nimiam prolixitatem evitandam progredior ad tertium nostræ dissertationis membrum, exhibens actiones, quibus crimen barattaria commissum vel com-

committendum persequatur & coeretur, sub vocabulo namque actionis & persecutio continetur l.34. ff. de V.S. Quod gravius itaque est delictum dolo, malo commissum, eo gravius est vindicandum: Severiori poena afficiendi sunt illi judices, qui per fordes seu ob pecuniam corrupti, quam qui per imperitiam injuste judicant, reputatur enim hoc crimen in jure & a Dd. gravissimum; & recte hic argumentari licet à minori ad majus, si enim privatorum furta tam parva, quam maxima impunita non debent manere, multo minus furta in officio publico constitutorum, (qui tamen omnibus & undique laudari, ostendi & alios iis subiectos exemplo justitiae & innocentiae antecellere debent) impunita dimittantur, præprimis cum judex justitiam vendens, permutans vel quocunque alio juris velamento pervertens non est DEI, qualis debebat esse, sed Satanæ minister, adeo ut veteres gravissime animadverterent in tales inquisitos officiales, cuius exemplum nobis exhibet Cambyses, qui Sisamo judici cum per fordes inique & injuste judicasset, autem detrahi, in lora consinditi, sellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum sedere jussi, ut paternæ poenæ consideratione admoneretur, quid iniquos judices pecunia corruptos maneat, cuius rei meminit Valer. Max. lib. 6. c. 3. in fin. Alexandrè Severus, Imperator justissimus, in judices, tales rapaces & fures tam gravi ex artifio, ut si unquam judicem furem vidisset, paratum haberet digitum, quo illi oculum erueret; Lege quoque duodecim tabularum judices per fordes judicantes capite mulctabantur.

II. Verum quoniam non omnibus in casibus tam gravis poena est adhibenda, sed pro varietate delicti & facti qualitate aliquando etiam poena pecuniaria sive mulcta quadruplum sc. dati restituendo est afficiendus judex cor-

D

ruptus

ruptus Nov. 8. cap. 7. quandoque in exilium mittitur, non nunquam in insulam deportatur, aliquando morte prout admiserit, debet puniri l. 7. §. 4. b. t. de qua mortis poena th. septima sectionis tertia latius agetur.

III. Datur vero actio & permititur accusatio hujus criminis illis non tantum, qui suam suorumque prosequntur injuriam l. 1. & 3. §. 1. ff. de popular. act. sed & cuivis de populo, quoniam lex jul. rep. quæ publici judicii est l. 1. in fin. de publ. judic. hujus generis crimen coerct, quæ cuivis de populo accusandi facultatem concedit §. 1. f. de publ. judic. l. 1. ff. eod. l. 43. §. 10. ff. de ritu nupt. imo ob atrocitatem hujus delicti per quod ipsa respublica ac communis societas læditur & convellitur, hortantur leges & jubent, ut quilibet hoc crimen accusatione persequatur, victoriam reportatus & premium & gloriam L. 4. C. ad L. J. R. dummodo revealatam criminis accusationem sufficienter probaverit. Nam caute contra officiales procedendum, hi enim tenentur ex eorum debito & ratione officii delinquentes castigare ac punire quapropter omnibus placere nequeunt, præsumitur enim multo magis pro officiali alias bonæ famæ l. fin. C. ad L. J. R. l. 2. C. de offic. civil. jrdic. adeo ut econtrario ea non probata neque honor neque gloria revelanti debeatur d. l. 4. in fin. C. ad L. I. rep. ibi crimen delatum approbet &c. ubi de probatione hujus delicti aliquid dicendum esset, sed ut tempus & chartam lucrer, superfedebo & pergam in actionum materia explicanda.

IV. Datur vero actio legis repetundarum tam adversus accipientem pecuniam & corruptum, quam dantem & pecuniâ corruptentem, & tenetur eadem poena corrumptis qua corruptus arg. l. 1. pr. ff. de calumn. si namque accipere turpe, & dare quoque turpe erit l. 31. C. de Episcop. & Cler. Nov. 8. c. 8. §. 1. & generaliter poenæ contra aliquid per barat-

barattariam accipientes statutæ, videntur etiam institutæ contra dantes, licet expresse non dicatur, sunt enim correlata corrumpens & corruptus, ut dispositum in uno censematur quoque dispositum in altero, etiam respectu poenæ, imo dolo malo corrumpens majori debet poena affici, quam corruptus, ille enim inducit hunc, & dat ansam peccandi ut ita occasio fures faciat arg. l. 30. §. 3. ad L. Aquil. l. 51. ff. eod. pro diversitate tamen & qualitate delicti, ut quandoque majori, nonnunquam minori afficiatur poena autb. novo jure C. de pœna jud. quim al. judic. sunt enim quatuor humana judicia subvertendi & corrumpendi modi; timor, cupiditas, amor & odium c. quatuor. 78. caus. 31. quest. 3. caus. 8. quest. 2. can. fin. duobus prioribus timore sc. & cupiditate tantummodo dicitur à parte corrumpente corrumpi, duo vero posteriores modi nempe odium & amor, neminem, quam ipsum respiciunt judicem: De prioribus igitur modis hic est sermo, & judex, cum timore corrumpitur, magis pars corrumpens peccat, quam judex corruptus, quis cum duo ad malum concurrant, ille magis peccat, cuius prævalet voluntas, & cuius voluntatem alter sequitur: Hinc est ut timore corruptus excusat si deliquerit ceu videre est in l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv. ubi Dominus cum jubet servos ut aliquem occidat, adhibita comminatione, quod si non occidat, ipse interficietur, si servus timore compulsus homicidium perpetrat, excusat, licet non in totum ramen in tantum l. 2. §. 1. de noxal. act. Cupiditate vero econtra quando corrumpitur, plus delinquit judex corruptus, quam pars corrumpens quia (1.) cum duo ad unum malum concurrant, plus peccat, qui sua mala voluntate leges subvertere potest, quam corrumpens (2.) quia majus peccatum est vendere rem alienam, quam emere vendere enim rem alienam, est contra venditionis naturam, cum econtra

D 2

sem-

semper quæ non nostra sunt, sed aliena emimus, & licet judex utroque casu cum timore vel cupiditate corruptus iudicat, peccat, plus tamen peccat, quando cupiditate quam si timore inductus injuste iudicet, propria enim voluntate per cupiditatem se patitur corrumpi.

V. Corrumpe[n]s vero iudicem tenetur poena falsi & relegationis ad tempus l. 21. ff. ad L. Corn. de falso. l. 1. §. 2. cod. quæ tamen poena arbitaria est l. 7. §. 3. b. t. scil. quoad pœnam corporis afflictivam, quoad pecuniariam vero illa in genere semper manet certa, punitur enim (1.) amissione causæ, in qua jus sovet l. 1. voc. amittit actionem C. de pœnaju-dicis qui male iudicavit, si sc. sit actor, & defensionis, si reus, vocabulo enim actionis in d. l. comprehenditur quoque defensio (2.) quod dedit non repetit l. 3. de condicib. ob turp. cauf. (3) sententia est ipso jure nulla l. 7. C. quando provocare non est necesse l. uit. C. de pun. iudic. qui mal. iudic. l. 15. ff. de ju-dic. quod verum quoque manet & procedit, licet sententia justa & æqua fuerit, modo pretio sit impetrata can. non licet q. 1. causa n. q. 3. & can. vendentes 10. cauf. l. 1. q. 3. vel spes aliquid recipiendi iudex sententiam tulerit. Perpetrat enim fraudem in Deum qui remunerationis premium expectat can. qui recte 66. cauf. 11. quaest. 3. & sola spes aliquid consequendi in Magistratu inducit crimen repetundarum, quod tamen ut sententia ipso jure sit nulla, procedit, si unus iudex solus tulerit sententiam, si vero plures fuerint officiales, qui con-junctim sententiam tulerunt, & unus ex his fuerit corru-ptus, sententia non est ipso jure nulla, sed rescindi debet.

VI. Et punitur non tantum, qui actu ipso corruptit, sed & ille, qui iudicem corrumpere tentavit, licet non ac-ceptaverit corruptionem officialis l. 1. §. 2. ibi corrumpendum-ve curaverit ff. ad L. Corn. de falso modo tentatio talis in ali-quelam actum producta fuerit, & per tentantem non ste-terit,

terit, quin corrumperet, veluti si pecuniam obtulerit quidem, sed officialis recusaverit, tali enim casu corruptio & actus corruptionis a parte pecuniam offerentis est perfectus, quia dum tentare curavit fecit, quod potuit, ut judex corrumperetur *l. 34. ff. de jure fisci l. 3. ff. de calunn.* quamdiu vero cogitaverit tantum de corruptione, ita ut ad nullam pervenerit actum, poenam non patitur *l. 18. ff. de paen.*

VII. Officialis in casu civili lege repetundarum damnatus privatur dignitate & officio, non enim sibi judges de eo honore blanditi debent, quo se ipsos indignos judicaverunt *l. 12. C. de dignit.* notatur infamia *l. 2. de paen.* judic. qui male judic. verb. estimationis, dispensii &c. adeo ut neque testimonium ferre neque postulare *l. 6. §. 1. ff. ad L. jul. rep.* neque in futurum alium dignitatis gradum consenserere queat. *l. 12. C. de dignit.*

VIII. Desuper tenetur judex pecunia corruptus ad expensas & damnum per litigatorem passum propter ejus corruptionem, imo non tantum ad damnum & interesse, sed & ad estimationem litis *l. 2. in fin. de paen. judic. qui mal. judic.* ita ut si judex non habeat, unde solvat, poena pecuniaria vertatur in corporalem, secundum vulgatum, qui non habet in ære, luat in corpore.

IX. Porro Administrator provinciae ex hoc crimen, si civiliter agatur, potest conveniri in quadruplum ejus quod accepit *l. 1. in fin. C. ad L. f. Rep.* imo sicut in una persona plures concurrere possunt barattariae, puta quod officialis ab ultraque parte & actore & reo pecuniam accipiat, poena quoque quadrupli duplatur, ita ut tam ratione dati ab actore, quam ratione dati areo in quadruplum conveniri possit, cumulatis namque delictis cumulari & crescere debent poene.

X. Quod quadruplum vel totum applicatur Fisco,
D 3 vel

vel dividitur inter Fiscum & partem læsam , ita ut Fiscus dimidiam partem , & pars læsa , (dummodo ea nihil dederit) alteram dimidiam partem hujus quadrupli accipiat: Applicatur vero totum Fisco tum , si utraque pars dederit & à parte dantum adest turpitudo , quando sponte corrumpendi animo pecuniam , quod in dubio præsumitur , dederit *l. 20. ff. de accusat.* est enim judicium revera publicum *l. ult.* *C. b. t. l. 2. ff. de calunn.* si vero à parte dantis cessat turpitudo , duplum applicatur Fisco , & duplum parti læsæ , ubi per partem læsam intelligitur is , qui dedit pecuniam : Quando enim alter turpiter dedit non tantum datum repetere nequit , & causa cadit , ac sententia à judice corrupto lata est ipsojure nulla , sed & hoc casu per partem læsam non dans pecuniam , sed isintelligitur , in cuius injuriam & præjudicium pecunia est data & accepta & per consequens sententia iniqua lata , cui quoque debet pars quadrupli dimidia applicari . *l. 1. pr. ff. de Calump.*

XI. Competit tamen quadrupli pecuniæ acceptæ pœna tantum intra annum , post annum vero non nisi in simplum & ratione hujus simpli est actio perpetua *l. 1. pr. ff. de Calumn.*

XII. Tenetur quoque officialis , qui metu , terrore potestatis , vel alio illico modo partes vexando pecuniam à dante extorquet , de concessione *l. 4. C. ad l. I. rep.* nec obstat quod crimen concussionis sit privatum *l. 2. ff. de concus.* & in hoc separatum à crimine repetundarum seu publico *l. 7. ff. ad l. I. rep.* nam Resp. concusio à privato commissa est crimen privatum , si vero committatur ab officiali , Magistratu seu persona publica sit publicum *d. l. 2. ff. de concuss.*

XIII. Quarum pœnarum juris civilis una aliam non tollit §. ult. *J. si quadr. paup. fecisse dicatur sed imponuntur cumulative , pœna enim unius legis non tollit aliam , nisi poste-*

posteriori lege addita sit clausula derogatoria: Sic poena in autb. Novo jure C. de pena judic. qui mal. judic. non tollit alias poenas arbitrarias à jure communi in Legem Julianam repetundarum delinquenti impositas. Ex gr. in alleg. autb. constituitur poena in triplum dari & duplum promissi, Lex vero i. C. ad L. J. rep. absolute poenam constituit quadrupli: Ipsi enim textus simul exhibent distinctionem cum in Autb. Alleg. novo jure &c. proprio loquatur de judge, qui per sordes judicaverit, uti clara sunt verba, cuius poena est triplum dari, promissi vero duplum restituendum: Lex vero C. b. t. intelligatur non de judge per sordes judicante, sed de provincia Administratore qui provinciam nudaverit & in habitatores diripuerit, quod scil. hic teneatur in quadruplum.

XIV. Sic qui in causis civilibus ob hoc delictum ab officio & dignitate sua moventur simul per consequentiam notantur infamia, imo non tantum notantur infamia, sed infamiam hanc alii adhuc concomitantur effectus ut sc. ali- um postea dignitatis gradum descendere, testimonium ferre & postulare nequeant, uti antea dictum & legibus confirmatum.

XV. Simili modo licet quis dignitatem seu cingulum amittat, non tamen propterea liberatur a poena tripli vel dupli intra annum, & post annum simpli d. autb. novo Iure &c.

XVI. Sic poena expensarum & damnorum non tollit poenam criminalem, sed venit emulative cum illis, civilis enim actio & persecutio non tollit criminalem, tendunt si quidem ad diversa nam ratione expensarum & damnorum refundendorum persequitur pars litigans, & iniqua in processu protelatione vexata, quod sibi de jure debetur; Actio vero criminalis est mere penalit, & tendit tantum ad poenam

nam infligendam & talem vel corporalem, capitalem vel etiam pecuniariam pro ratione delicti perpetrari.

XVII. Moribus hodiernis infligitur poena arbitria extraordianaria, & criminis hujus rei extra ordinem secundum arbitrium judicis vel durius vel mitius secundum delicti qualitatem plecti solent. l. 7. §. 3. ff. ad L. I. rep. Crusus part. 3. cap. 23. num. 18. & seqq. ibique alleg. Autb. adeo ut & capite plectatur officialis d. l. 7. §. 3. pr. ibi neve quis ob hominem &c. ff. b. r. quando scil. judex pecuniam accipit pro necando hominem & pecunia mota innocentem interficit, si vero non pecuniae sed iracundiae calore id fecerit, loco poenae deportationis quæ olim frequens erat, relegatio vel alia poena arbitria locum habet, quapropter etiam textus modo allegatus alternative loquitur, (vel capite plecti vel in insulam deportari) habito respectu ad receptionem vel non receptionem pecuniae, quod tamen, officiale scil. posse capite plecti, tunc demum est verum, quando scil. pecunia accepta innocentem ad mortem condemnaverit, & mors ipsa secura fuerit, antequam enim dictetur poena, de corpore delicti constet, necesse est l. i. §. 24. ad Sctum Silvan. morte vero nonsecuta, poena est miriganda, quia effectu non secuto affectus eadem poena scil. ordinaria ac si mors ipsa secuta fuisset, non punitur, sed extraordinaria arbitria, exilio, relegatione vel duriori vel mitiori pro qualitate delicti, personarum &c.

XVIII. Et hæc sunt quæ de criminis hujus plus nimio usitati materia dicere & proferre volui, quæ quidem exactius multo & elegantius tradi potuisse lubent concedo, verum ob exiguitatem eorum, quæ ex juris nostri textibus praesenti materiae accommodari & aptari potuerunt, te, Lector benebole mihi veniam concessarum confido ubique erravero, correctioni melius sentientis, ut me labenterem

tem calamo corrigat charitativo, hallucinantem erigat, ignorantemque eruditat me subjicio.

XIX. Interim caveant sibi illi, qui subditis regendis & controversiis dirimendis sunt præpositi, videant, quid faciant, ne donis ac largitionibus corruptantur, in memoriam revocantes, quod non hominis sed Dei Domini omnipotentis exerceant judicium, & quocunque judicaverint, in eos redundet: Sit timor Domini cum illis, ut cum diligentia & summa æquitate cuncta faciant, non enim est iniquitas apud Dominum Deum nostrum, nec personarum acceptio, nec cupiditas numerum c. *in iudiciis* 12. de R. 3. *in sexto* c. novit 13. post med. extra de *judiciis* arg. c. *statutum* 11. §. *insuper de rescript.* *in sexto*, judicent judices juste citra ullum personarum respectum æque parvum ac magnum audiant, non metuant à quoquam quia Dei est judicium *Denter*. cap. 1. v. 16. & 17. & cap. 16. v. 19. non considerent personam pauperis, neque honorent vultum potentis, sed juste proximo judicent *Lev.* 18. v. 15. qui enim condemnat justum & impium justificat, abominabilis est apud Dominum *Proverb.* c. 17. v. 15. caveant sibi in officio publico constituti, si tam juris civilis quam Canonici & statutarii pœnis moveri nolint, nevæ & poena, quam Jehova iis, qui se fôrdibus corrupti patiuntur, ut propter munera, bonum, malum, & malum bonum pronuntient *Jesaiæ* c. 5. v. 24. exclamavit, dum dicit idcirco ut absunit stipulam lingua ignis, & torridum gramen flamma deficit, radici istorum quasi tabes inheret & flos istorum ut pulvinulus abibit & *caus.* 11. *quæst.* 33. *can.* 59. propterea dilatavit infernus animam suam absque ullo termino & descenderunt fortis ejus & populus ejus & sublimes gloriose ad eum: Incurvabitur homo & humiliabitur vir & oculi sublimium,

E

depri-

deprimentur: Exaltabitur Dominus Exercituum in Iudicio, & Deus Sanctus sanctificabitur in justitia, in quo iudicio alius testis, quam conscientia ejus, qui male judicavit, non erit *cayf. 1. q. 3. can. 54.* inde quoque mirum non est, si sordidus istorum quæstus sèpissime, quod docent exempla quotidiana, ad tertium non transeat heredem, sed ignis eorum, qui libenter munera recipiunt, tabernacula devoret, sicut aqua labeficiunt & indefinenter abeunt *Psalmo 58. v. 8.* Nam male parta male dilabuntur & de male quæfitis non gaudet teritus heres, quod confirmatur à propheta *Hamos cap. 5. vers. 11. & 12.* dicens quoniam vos calcastis teuam & frumentum ab eo accepistis, domos quidem cæso lapide ædificastis, sed non habitabitis in eis, vineas amænissimas plantastis, sed non bibetis vinum eorum, quia novi multas defectiones vestas, & ingentia peccata vestra, contingentes iustum & accipientes pretium redemptorium (*Blut-Geld*) uti in germanico textu legitur, ut pauper in foro dejiciatur, quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabimini, & qua mensura metimini, eadem & contra metietur vobis *Matth. c. 7. vers. 2. Marc. c. 4. vers. 24. Luc. c. 6. vers. 38.* caveat ergo sibi quisvis, cui illa potestas à domino data est, & virtus ab altissimo, Dominus enim inquiret in actiones vestras, consiliaq; vestra perscrutabitur, & vobis qui estis regni ipsius ministri, nec recte iudicatis neg; legem iustitiae servastis, neq; consilium Dei secuti estis, horribiliter superveniet, & repente, & celeriter instabit in vos, nam iudicium severum exercebit in eos, qui præsunt *Sapient. lib. cap. 6. vers. 2. 3. 4. 5. & 6. Psalmo 83. vers. 2. 3. & 4.* quo usque iudicabitis inique & personam improborum suscipietis (iudicate secundum tenuem & pupillum, pronunciate afflictum & pauperem iustum, eripite tenuem, & in opem

opem de manu impiorum liberate, quærite bonum, non malum, ut vivatis, aderitque itaque Jehova Deus Exercituum vobis *Harmos cap. 5. ver. 14.* quapropter quilibet, qui tribunal justitiae concendit, qui aliquod negotium seu officium publicum gerendum suscipit, studeat, ut ita judicet, ita officium susceptum administret, sicut se à supremo omnium judicium in extremo die in extremo judicio judicare exoptat, ut cum Samuele populum in testem vocare & dicere possit: Ecce præsto sum, testificamini contra me coram Jehova & coram uncto ejus, utrum cujusquam bovem acceperim, aut asinum, aut quem fraudaverim, aut quem concusserim, aut ex alicuius manu redemptionis pretium acceperim, ut abderem oculos meos propter illud, cui populus dixit, non fraudasti nos, neque concussisti nos, nec quicquam accepisti e manu ullius *ib. 1. Samuel. 12. mibi vers. 5. & 6.* Hinc scriptura econtra beatum pronuntiat illum, qui ambulat integre in viis justitiae & loquitur veritatem ex animo suo *Psalmo 15. vers. 2. &c.* qui abhorret ab emolumento, quod per vim atque calumniam extorquetur, manus suas excutiens ne munera contrectent, spernesque lucrum ex fraudibus. *Jesaiæ 33. vers. 15.* hoc ergo est tutum & integrum, ut quilibet excutiat manus, ne munus contrectent, servet quivis libertatem, ut non servitio pecunia, sed amore & libertate justitiae judicet & patrocinium præstet: Tibi vero Regi immortali, soli DEO sapienti, omnium judicii justissimo sit laus, honor, imperium sempiternum & gloria in secula seculorum.

F I N I S.






94 A 7365

VD 18



56

VO 17



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
inches

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ONEM INAUGURALEM
ACADEMICAM,

DE

TTARIA,

GERMAN.

Gung der Richter

RTUNANTE NUMINE,
decreto Magnifica, Nobilissima
ma Facultatis Juridice
MIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
RÆ SIDE
ISSIMO ET CONSULTISSIMO

RICO BODINO,

Decretalium Professore
famigeratissimo.

Pro

IN UTROQVE JURE HONO-
LEGIIS DOCTORALIBUS

in solenni Jctorum Auditorio
oni subjiciendam,

Conscriptis

ERHARDUS Dirschfeld/
urgensis Hassus.

Pr. An. MDC LXXXIIX.

H. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ. 1708.

5